

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot**

**Stahl, Daniel**

**Jenae, 1662**

Regula VI. Differentia est posterior genere & prior specie ibid

**urn:nbn:de:bsz:31-102400**

*P. I. c. II. a. II.* Hujusmodi præterea prædicationes non sunt *in quid*, cum omne, quod in quid de aliquò prædicatur, aut totam essentiam & rationem ejus exprimat, (sicut patet de definitione respectu definiti) aut in ratione & essentiâ ejus includatur: quemadmodum patet de genere respectu speciei. At genus nec totam differentiam rationem dicit, nec in eâ includitur, cum genus & differentia sint conceptus formaliter contradistincti, & ex iis species secundum rationem & conceptus nostros componatur.

## REGULA VI.

*Differentia est posterior genere, & prior specie ibid. 16.*

Hoc, quia differentia constituit speciem, omne autem constituens est prius constitutò. Illud, quia sicut à genere ad speciem, ita etiam à genere ad differentiam non reciprocatur essendi consequentia. Nam valet v. g. *Rationale est. E. est animal.* Sed non vice versâ: *Animal est. E. rationale est.* Sicut igitur genus est prius specie, ita & differentiam prius est, & per consequens differentia est genere posterior. Vide ea, quæ *Disp. præced. Reg. III.* diximus.

REGU.